pœnam ab Ordinario, vel Inquisitore impositam *hæretico*, illico exequi: vel *si hæretici* eisdem puniendi traduntur, ordinariâ Juris pœnâ, etiam mortis afficere. Patet Conclusio ex *c. Ut Inquisitionis* 18. *h. t. in* 6. quod totum hic inserere placuit, & sic sonat:

Ut inquisitionis negotium contra hæreticam pravitatem, ad Dei gloriam, & augmentum Fidei nostris temporibus prosperetur, leges quasdam per Fridericum olim Romanorum Imperatorem, tunc in devotione Romanæ persistentem Ecclesiæ promulgatas, quatenus Dei, & Ecclesiæ suæ sanctæ honorem promovent, & Hæreticorum exterminium prosequuntur, & statutis canonicis non obsistunt approbantes, & observari volentes: universos Sæculi Potestates, & Dominos temporales, ac provinciarum, terrarum, civitatum, aliorumque locorum Rectores, quibuscunque dignitatibus, vel officiis, aut nominibus censeantur, requirimus, & monemus, ut sicut reputari cupiunt, & haberi fideles, ita pro defensione fidei Diœcesanis Episcopis, & Inquisitoribus hæreticæ pravitatis à Sede Apostolica deputatis; aut in posterum deputandis pareant, & intendant in Hæreticorum, credentium, fautorum, receptorum, & defensorum ipsorum investigatione, captione, ac custodiâ diligenti, cùm ab eis fuerint requisiti: & ut præfatas personas pestiferas in potestatem, seu carcerem Episcoporum, aut Inquisitorum dictorum, vel ad locum, de quo ipsi, vel aliqui ex eis mandaverint, infrà eorundem Dominorum potestatem, vel Rectorum districtum ducant, vel duci faciant sine mora: ubi per viros Catholicos à præfatis Episcopis, seu Inquisitoribus, vel eorum aliquo deputatos, sub arctâ, & diligenti custodia teneatur, donec eorum negotium per Ecclesiæ judicium terminetur.

Utque de Hæresi à Diœcesano Episcopo, vel Inquisitore, seu Inquisitoribus condemnatos, præfati Potestatis, Domini temporales, Rectores, vel eorum Officiales, seu Nuntii sibi relictos statim recipiant indilatè animadversione debitâ puniendos: Non obstantibus appellationibus, seu proclamationibus prædictorum nequitiæ filiorum: cùm tam secundùm legem Imperialem, appellationis, & proclamationis beneficium expressè sit hæreticis, credentibus, ac eorum receptatoribus, fautoribus, & defensoribus interdictum.

Prohibemus quoque districtius Potestatibus, Dominis temporalibus, & Rectoribus eorumdemque Officialibus supradictis, ne ipsi de hoc crimine (cùm merè sit Ecclesiasticum) quoquo modo cognoscant, vel judicent: sive captos pro eodem crimine absque dictorum Episcoporum, sive Inquisitorum, aut saltem alterius eorundem licentiâ, vel mandato à carcere liberent: aut executionem sibi pro hujusmodi crimine à Diœcesano, vel Inquisitoribus, seu Inquisitores injunctam promptè (prout ad suum spectat officium) facere, seu adimplere detrectent: vel aliàs Diœcesanorum, aut Inquisitorum judicium, sententiam, seu processum directè, vel indirectè impedire præsumant.

Si quis verò de prædictis Potestatibus, Dominis temporalibus, Rectoribus, vel eorum Officialibus, seu Ballivis contra prædicta fecerit, aut præfato Fidei negotio sæpè satis Diœcesano Episcopo, Inquisitoribus incumbenti se opponere fortè præsumpserit, vel ipsum aliquatenus impedire, necnon & qui scientes in prædictis dederit auxilium, consilium, favorem, Excommunicationis se noverit mucrone percussum: quam si per annum animo sustinuerit pertinaci, ex tunc velut Hæreticus condemnetur.

452 Resp. II. Principes, Potestates, aut Judices sæculares non differre, aut recusare possunt executionem sententiæ ab Inquisitore, aut Ordinario in causa *hæresis* latam, nec omittere, differre, vel negligere inferre pœnam Jure debitam Reo *hæretico* illis tradito, sub prætextu, quòd debeant priùs videre Processum à Judice Ecclesiastico factum, an sit rite formatus, vel an sententia sit justa vel non. Nec ulla ratione possunt prætendere, videre, ac lustrare Processum, sed si petunt, potest & debet illum Judex Ecclesiasticus negare. Farinacius *de Hæresi. q.* 186. *à n.* 165. Castro Palao *de Fide Tr.* 4. *Disp.* 8. *pun.* 14. *num.* 5. cum communissima, & hodie certa aliorum, quos copiosè ibidem allegat Farinacius dicens cum aliis, sententiam contrariam, communi Peritorum consensu, & usu explosam esse, atque rejectam, *arg. cit. c. Ut inquisitionis.* 18. *h. t. in* 6. ubi §. *Utque de Hæresi* expressè excipit Papa, ut *Domini temporales sibi relictos* (Hæreticos) *statim accipiant, indilatè animadversione debitâ puniendos*, & §. *Prohibemus*, ne *executionem sibi pro hujusmodi crimine à Diœcesano, vel Inquisitore injunctam, promptè facere, seu adimplere detrectent.* Accedit, & Conclusionem certam reddit Constitutio Innocentii VIII. *Dilectus*, estque decima inter Constitutiones dicti Pontificis *in Bullario Cherub.* ubi Papa præcipit, ut Judices sæculares sine ulla visione Processûs ab Inquisitore facti exequantur sententiam, & quidem sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ: uti patet ex tenore Bullæ sic sonantis:

Dilectus filius frater Antonius de Brixia Ordinis Prædicatorum in partibus Lombardiæ Inquisitor hæreticæ pravitatis, unà cum Venerabili fratre Episcopo Brixiensi, seu ejus Vicario Generali, sicuti nobis nuper fecit exponi, contra nonnullos utriusque sexûs Hæreticos, ut accepimus, quos culpabiles, ut Hæreticos impœnitentes repertos, pœnâ debitâ Juris puniendos condemnavit: ac Officiales Civitatis Brixiensis, ut injunctam executionem adimplerent, requisivit, qui Officiales justitiam ministrare, & dictas sententias exequi (nisi priùs Processus per Episcopum, & Inquisitorem agitatos non viderent) in non parvum Orthodoxæ fidei scandalum, recusârunt.

At cùm hujusmodi crimen Hæresis sit merè Ecclesiasticum & delicta nullo pacto impunita remanere debeant, tenore præsentium vobis committimus ac mandamus, ut si est ita, eisdem Officialibus sæcularibus Civitatis Brixiensis sub Excommunicationis pœna, & aliis censuris Ecclesiasticis, præcipiatis atque mandetis, ut infra sex dies, postquam legitimè fuerint requisiti, sine aliqua dictorum Processuum, per vos agitatorum visione, sententias per vos latas contra hujusmodi Hæreticos promptè exequantur appellatione remotâ. Quam Excommunicationis pœnam ipso facto volumus, & tenore præsentium declaramus, incurrisse, si, quod mandatum fuerit, infrà dictum sex dierum spatium, cessante legitimo impedimento, cum effectu non impleverint.

Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, statutis Civitatis Brixiensis, cæterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die trigesimo Septembris, Millesimo quadringentesimo octogesimo sexto, Pontificatûs nostri Anno tertio.

Ratio est; quia cùm juxta *num.* 431. & *c. Ut inquisitionis*: de crimine *hæresis* nullo modo cognoscere, & judicare valeant, frustrà Processum super illo factum prætendunt. 453

Cæterùm ad hoc ut *indilatè* dicatur Judex sæcularis exequi, requiritur & sufficit, ut intrà sex dies exequatur, prout patet ex dicta Bulla, & tenent communiter Doctores, ut videre est apud Farinacium *de hæresi. q.* 186. *n.* 162. 454

Resp. III. Quamvis Potestates sæculares de *crimine hæresis* nullo modo cognoscere aut judicare, nec in Processu contra *hæreticos* ullatenùs se immiscere 455

immiscere valeant per dicta: possunt tamen etiam non requisiti suspectos de *hæresi* capere, & detinere ad hoc, ut illos competenti Judici Ecclesiastico tradant. Farinacius *l. cit. nu.* 158. Clarus *de Hæresi. num.* 4. & alii. Ratio est; quia tali modo in judicaturam non se intromittunt, nec Judicem ullo modo impediunt, sed potiùs debitè juvant in ordine ad coercendos, puniendos, & extirpandos *hæreticos.*

456 Ex eadem ratione possunt etiam facere statuta, & leges, quibus Processus contra *hæresin* promovetur, Judicibus Ecclesiasticis assistitur, & pœnæ contra *hæreticos* à SS. Canonibus inflictæ exasperantur; licet non possint condere statuta, quibus negotium Inquisitionis contra *hæreticos* directè vel indirectè impediatur, aut retardetur. *c. Statutum.* 9. *h. t. in* 6. Farinacius *loc. cit. num.* 157.

457 Denique notandum, quòd, cum juxta dicta *à num.* 340. pœnæ temporales & corporales à Jure contra *hæreticos* Augustanæ Confessionis (& forsan etiam alios) in Germania per Pacem publicam videantur sublatæ, frustra Judex Ecclesiasticus traderet *hæreticum* Judici sæculari. Hinc vel ipse *hæreticum* judicialiter confessum, aut convictum debitâ pœna etiam temporali & corporali, v. g. perpetui carceris (non item mortis) afficere, vel quod consultius est, à pœnis corporalibus, & temporalibus omnino abstrahere debet juxta dicta *num.* 345.

Et hæc amore Religionis & Ecclesiæ in odium vitii omnium perniciosissimi *hæresis* dicta sufficiant. Qui plura desiderat, legat Farinacium *de hæresi*, & alios de eâdem integros Tractatus scribentes.

TITULUS VIII.

De Schismaticis, & Ordinatis ab eis.

SUMMARIUM.

1 *Ratio continuationis.*
2 *Schisma, & Schismatici quid?*
3 *Schisma aliud est* purum, *& propriè tale.*
4 *Aliud* non purum, *sed conjunctum cum Hæresi.*
5 *Quinam censendi sint* Schismatici? *& qui non?*
6 *Separans se ab Episcopo suo, & Communitate Diœcesana non est* Schismaticus *propriè.*
7 Schisma *quomodo differat ab Hæresi?*
8 *Pœnæ* Schismatici non puri, *sunt pœnæ Hæreticorum.*
9 *Pœnæ* Schismatici puri *sunt I. Excommunicatio.*
10 *II. Inhabilitas ad Beneficia Ecclesiastica.*
11 *Non item privatio Beneficiorum priùs ritè obtentorum.*
12 *III. Est confiscatio omnium bonorum, ac privatio Officiorum, & bonorum &c.*
13 *IV. Est privatio omnis jurisdictionis Ecclesiasticæ, & per consequens nullitas Actuum.*
14 Schismatici *tamen validè ordinant, quamvis ordinati ab eis sint suspensi.*
15 Schismatici *non sint irregulares, nec infames, nisi Schisma ipsorum sit notorium.*
16 *Si tempore* Schismatis *sunt duo Pontifices, & unus est certus, ei soli est adhærendum.*
17 *Si ambo sunt dubii, nulli est adhærendum. Et num. seq.*
19 *Quid interea faciendum? Et num. præced.*

1 HÆresi, & Hæreticis proximè accedunt, imò ordinariè cum ipsis coincidunt *Schisma*, & *Schismatici*, nec non *Apostasia*, & *Apostatæ*; hinc post præcedentem Titulum de Hæreticis, in præsenti de *Schismaticis*, & in statim sequenti de *Apostatis* recto ordine agitur. Itaque

Quæritur I. Quid sit *Schisma?* Quid *Schismatici?* & quomodò differant ab Hæresi, & Hæreticis? Resp. I. Quamvis *Schisma* genericè, & largè loquendo sit quævis scissura, & divisio, seu disruptio Communionis, *arg. can. Schisma. c.* 24. *q.* 1. ibi: *Schisma quod græcum nomen est, scissuram significat*; proprie tamen & ad propositum loquendo: *Schisma* est scissura, seu disjunctio, ac divisio, quâ quis se separat ab unitate universalis Ecclesiæ, in quantum hæc est *Corpus* quoddam Mysticum ex diversorum statuum Fidelibus tanquam Membris inter se, ac Romano Pontifice tanquam visibili *Capite* illius constant. Ita in re communis. 2

Schisma sic definitum dividitur in *purum*, & *non purum*, & conjunctum cum Hæresi. *Purum* fit, & est, quando quis omnes Fidei Articulos, ac etiam supremam Pontificis potestatem, & primatum in Ecclesia credens, ex mera malitia Pontifici quâ tali, seu quâ *Capiti* Ecclesiæ & Christi in terris Vicario subesse & obedire, vel cæteris universalis Ecclesiæ Membris uniri, vel unitus & conjunctus esse detrectat; ut si aliquod Regnum, aut Provincia, quod obedientiam Papæ tanquam *Capiti* Ecclesiæ negans, constitueret sibi proprium Episcopum, aut Patriarcham assumeret, eique in spiritualibus obediret, spretis, vel neglectis, & non attentis Papæ mandatis; quamvis de cætero Papatum, & Articulos crederet. Et hujusmodi Regni & Provinciæ Rex, Princeps, & Incolæ *puri*, & propriè dicti essent *Schismatici.* 3

Schisma non purum, sed conjunctum cum Hæresi est; quando præter separationem ab unitate Ecclesiæ negatur una, vel plures propositiones Fidei, v. g. si negatur, vel non creditur Pontificem esse in terris Vicarium Christi, & *Capu*-Ecclesiæ &c. Et quidem ordinariè & præticè loquendo, vix unquam datur ampliùs *Schisma purum*, sed quodvis conjunctum est cum Hæresi, ut bene notatur *can. Hæresin. caus.* 24. *q.* 3. ibi: *Quod quidem, in principio aliquo ex parte intelligi potest*: *Cæterum nullum Schisma non aliquam sibi confingit Hæresin, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur.* 4

Et ex his colliges, non omnes, qui Romano Pontifici obedire recusant, esse propriè *Schismaticos*, sed illos duntaxat, qui eidem tanquam universalis Ecclesiæ *Capiti* subesse, & obedire detrectant. Hinc *Schismaticus* non est, qui primatum Ecclesiæ credit, & Pontifici quâ tali paratus est obedire, hic & nunc tamen ratione materiæ non obedit, v. g. dum jubet, ut arma deponat vel ex odio erga personam &c. vel quia bellum cum ipso gerit &c. Pariter non est *Schismaticus*, qui Papam non agnoscit Dominum temporalem alicujus Provinciæ, Regni &c. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 26. *num.* 3. Farinacius *q.* 184. *num.* 11. Pithing *h. t. num.* 3. Ratio est; quia similes inobedientiæ actus adhuc stant cum recognitione & obedientia erga eundem tanquam Ecclesiæ *Caput*, nec separant ab Ecclesia, quatenus est *Corpus* mysticum, ut suprà declaratum. 5

Pariter non censetur esse Schismaticus, nec *Schismaticorum* pœnas incurrere, si ab Episcopo suo, etiam qua tali se quis separat, eique obedire detrectat; quia *Schisma propriè dictum* est separatio ab Ecclesia universali, & *Capite* ejus. Sanchez *loc. cit. num.* 6. Abbas *ad hanc Rubricam. num.* 1. & 2. Azorius *p.* 1. *lib.* 8. *q.* 20. *num.* 4. quantumvis 6

sit, & dici possit *Schisma impropriè* tale, *arg. can. Scire. 7. cau. 7. q. 1. can. Loquitur. 18. cau. 24. q. 1.*

7 Resp. II. *Schisma purum* (quod vix ampliùs datur) in hoc differt ab Hæresi, quòd hæc per se ac directè apponatur Fidei, negando, seu non credendo unum, aut plures Fidei Articulos: *Schisma* verò opponatur unitati, tollendo Ecclesiæ unitatem, quæ per charitatem habetur, ut cum D. Thoma 2. 2. *q.* 39 *a.* 1. bene advertit Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 36. *n.* 7. cum Communi.

8 Quæritur II. Quæ sint pœnæ *Schismaticorum*? Resp. I. *Schismaticos non puros*, seu habentes adjunctam etiam Hæresin (quales sunt hodie plerique juxta dicta) easdem, quas Hæretici incurrunt pœnas; quia verè Hæretici sunt. De quibus pœnis vide *Tit. præced.* § *V.* & *VI.*

9 Resp. III. *Schismatici puri*, seu nullam habentes Hæresin (quales sunt hodie pauci) sequentes incurrunt pœnas. I. Est Excommunicatio Major, *can. Nulli fas. 5. Dist. 19. & can. Liguribus. 43. cau. 23. q. 5. & Bulla Cœnæ §. 1.* vi cujus hæc Excommunicatio hodie est reservata Summo Pontifici, ut cæteri casus Bullæ Cœnæ, ibi: *Excommunicamus Schismaticos, & eos, qui se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientiâ pertinaciter subtrahunt.*

10 II. Pœna est inhabilitas ad Beneficia, & Dignitates Ecclesiasticas, præsertim Episcopalem. Farinacius *de Hæresi q.* 182. *n.* 42. Pirhing *h. t. n.* 5. *arg. c. quia diligentia.* 5. *de Electio.* & *c.* 1. *h. t. in* 6. quæ pœna probabilius locum habet etiam post peractam pœnitentiam, & *Schisma* abjuratum. Farinacius *loc. cit. n.* 36. Azorius *p.* 1. *lib.* 4. *cap.* 20. *n.* 8. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 36. *n.* 18. *arg. cit. c.* 5. *de Electio.* ubi habetur, posse cum *Schismatico* post abjuratum *Schisma* in Episcopum electo dispensari, quòd confirmari valeat: ergo sine dispensatione Electio non valet.

11 Volunt nonnulli, *Schismaticos* etiam privandos esse Beneficiis ante *Schisma* rite obtentis. Farinacius *de Hæresi. q.* 184. *num.* 42. Flamin. Parisien. *lib.* 3. *de Resignat. q.* 1. *num.* 36. *arg. c. un. h. t. in* 6. verum quia constitutio *cit. c. un. h. t. in* 6. fuit revocata (solâ exceptâ Confiscatione bonorum ibidem etiam statutâ) à Benedicto XI. *Extravag. un. h. t. inter communes*, hinc cum Sanchez *loc. cit. n.* 19. Garcias *p.* 11. *cap.* 10. *num.* 151. Pirhing *h. t. num.* 7. rectè negatur, pœnam privationis Beneficiorum ante ritè obtentorum incurri.

12 III. Pœna est *Confiscatio* bonorum, item *privatio* Officiorum, bonorum, ac dignitatum, *cit. c. un. h. t. in* 6. ubi ulteriùs disponitur, *quòd si Schismatici homines sunt privati, siquidem nobiles existunt, suarum substantiarum proscriptionem patiantur: si autem ignobiles, non solùm in corpore verberentur, sed exilio perpetuo castigentur.*

13 IV. Pœna est *privatio* jurisdictionis Ecclesiasticæ, ita, ut quæcunque collatio Beneficii, alienatio rerum Ecclesiasticarum, uniones Ecclesiarum, sententiæ Censurarum, Absolutiones &c. à *Schismatico* factæ ipso Jure sint irritæ, *can. Novatianus. 6. cau. 7. q. 1. can. Didicimus. 31. cau. 24. q. 1.* ibi: *Didicimus Schismaticos nil habere Juris, & potestatis*: & *c. 1. h. t.*

14 Notandum illud, quòd *cit. c. 1. h. t.* sicut etiam *can. Ordinationes. cau. 9. q. 1.* dicitur: Ordinationes à Schismaticis factas, esse nullas & irritas, sic esse intelligendum, videlicet, ut Ordines à *Schismatico* accipiens sit suspensus ab executione eorum; Ordo tamen valeat, & characterem imprimat, ut bene observat Glossa communiter recepta in *cit. c. 1. h. t.* ℣. *Irritas.*

15 Non desunt docentes, *Schismaticos* incurrere etiam pœnam *infamiæ* & *irregularitatis*. Verùm, quia nulla de his pœnis reperitur dispositio in Jure, ideo benigniorem in pœnis sequentes interpretationem *arg. c. In pœnis. de Reg. Jur. in* 6. pœnas illas incurri rectiùs negamus, nisi *Schisma* sit notorium, indeque ob sui enormitatem dictas pœnas inducens. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 36. *n.* 20. Farinacius *de Hæresi. q.* 184. *nu.* 42. *in fin.* Barbosa *in c. 1. h. t. num.* 5.

16 Quæritur III. Quid faciendum, & cui adhærendum tempore *Schismatis*, quo duo habentur Pontifices electi? Resp. I. Si unus est certus, vel quasi certus Papa, ita ut prudenter de illo dubitari non possit, ei soli est adhærendum, & qui alteri favent, sunt *Schismatici*. Caret controversiâ.

17 Resp. II. Si verò in tali casu legitimus Papa sit dubius, ita ut non possit prudenter cognosci, nulli est adhærendum. Ita Suarez *disp.* 12. *de Schismate. sect.* 1. *num.* 11. Cajetanus, Sylvester, & alii, quos citat & sequitur Bassæus *Tom.* 2. ℣. *Schisma. num.* 5. Ratio est; quia reverà tunc nemo ex istis duobus habet jus verum in Ecclesia acquisitam. Accedit, quòd temerarium sit, ac periculosum, dubia habere pro certis.

18 Itaque unusquisque gerat se tunc, ut unum Membrum Ecclesiæ, & Christo *Capiti* adhæreat, dubios ejus Vicarios habens pro dubiis, paratus uni certo adhærere, quando Ecclesiæ provisum fuerit de certo; Quòd si contrarium fiat, periculum est, ne *Schisma* foveatur, & peccatum committatur; Quamvis Sayrus *in Thesauro lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 22. Trullench. arbitrantur, quòd quamdiu causa est dubia, & duo vel plures contendunt de Papatu, ac se pro SS. Pontificibus gerunt, nec per Concilium Generale res est determinata, tam ipsi, quàm eorum sequaces à peccato excusentur; dummodò parati sint ad determinationem Concilii à Papatu se abdicare, & ejusdem Concilii determinationi atque decreto acquiescere. Cæterum prior Suarezii sententia *num. præced.* allegata est tutior.

19 Cæterùm Christiana plebs satisfaciet adhærendo suis Episcopis, Parochis, & Doctoribus Catholicis, semper parata adhærere illi, quem Ecclesia receperit.

TITULUS IX.

De Apostatis, & Reiterantibus Baptisma.

SUMMARIUM.

1 *Apostasia in genere quid?*
2 *Quid Apostasia, & Apostata à Fide?*
3 *In quo differat Ab Hæresi?*
4 *Apostata à Fide eadem, quas Hæreticus incurrit pœnas.*
5 *Imò majores: & quas?*
6 *Caret etiam impunitate Hæreticis concessâ per Pacem Religiosam.*
7 *Apostasia, & Apostata à Religione qui? Et quæ pœnæ?*
8 *Si Apostatans à statu Religioso ad Hæreticos transit, horum pœnis subjacet.*
9 *Etiam in Germania.*
10 *Potest tamen cum dammatis ad carceres dispensari.*
11 *Discedentes à Sacra Communione, quæ approbata per S. Sedem non est, non sunt Apostatæ, ut Virgines Anglicanæ &c.*
12 *Propria authoritate discedens à sua Religione, animo intrandi aliam, Apostata proprie talis de Jure communi non est.*
13 *Etsi alii contrarium dicant.*
14 *Apostatarum à Religione pœnæ sunt de Jure communi, l. Excommunicatio.*
15 *II. Suspensio ab Ordine Sacro in Apostasia suscepto.*
16 *III. Amissio privilegii Religionis.*
17 *Quibus in quavis Religione accedunt speciales pœnæ.*
18 *In Religione nostra Seraphica quis sit, & dicatur Apostata? Et num. seq.*
19 *Ibidem alia Apostasia levis, alia levior, alia levissima.*
20 *Alia gravis, alia gravior, alia gravissima.*
21 *Quævis dictarum ipso facto inducit Excommunicationem.*
22 *Carceris item, & inhabilitatem ad Officia.*
23 *Cum Apostatis post mediatatem pœnarum superatam dispensari poterit.*
Ordinariè loquendo post sententiam laxam in pœnis dispensare nequit Judex. Ibid.
24 *Apostatare ab obedientia quid?*
25 *Apostatare ab Ordine sacro quid?*
26 *Discedens in Minoribus constitutus ad Statum laicalem non est Apostata ab Ordine sacro.*
27 *Perdit tamen ipso facto Beneficium, si quod habuit.*
28 *Pœnæ Apostasiæ ab Ordine sunt I. Excommunicatio.*
29 *II. Infamia.*
30 *III. Irregularitas.*
31 *IV. Amissio privilegii Canonis.*
32 *V. Resipiscere nolentes possunt incarcerari.*
33 *Reiterantes Baptisma, seu Anabaptistæ qui? & qualiter delinquant.*
34 *Pœna Reiterantium Baptisma de Jure communi civili est ultimum supplicium.*
35 *de Jure Canonico autem est Irregularitas.*
36 *Quam contrahit etiam, qui Rebaptizanti ministrat, Acolythus v. g. Subdiaconus &c.*
37 *Pœnas præfatas non incurrit, qui sub conditione.*
38 *Vel ignoranter rebaptizat.*
39 *Solvitur instantia.*
40 *Quis dispenset in Irregularitate ob reiteratum Baptisma contracta?*
41 *Iterantes Confirmationem non contrahunt Irregularitatem.*
42 *Solvitur instantia.*

1 Quæritur I. Quid, & quotuplex sit *Apostasia*? Ante Responsionem nota, Apostasium esse vocem Græcam, & idem significare ac *defectionem*, seu *recessum à Deo*, ut cum D. Thoma 2. 2. *q.* 12. *a.* 1. Communiter notant Doctores. Hinc in genere definiendo *Apostasiam* Resp. *Apostasia est recessus, vel defectio à Deo*, dum vel Fides Christiana, vel status Religiosus, vel Sacer Ordo susceptus deseritur. Triplex siquidem *Apostasia* est; *à Fide* videlicet, *à Religione*, seu statu *Religioso*, & *à Sacro Ordine*. Ita in re Communis, & magis patebit ex sequentibus Quæsitis, quibus singulas *Apostasiæ* species examinabimus. Hinc

2 Quæritur II. Quid sit *Apostasia*, & *Apostata à Fide*, ac quibus subjaceat pœnis? Resp. I. *Apostasia à Fide* (quæ proprissimè *Apostasia* est, & à Communi post Glossam *in c. 1. h. t.* ℣. *Apostasia.* etiam *Apostasia perfidiæ* vocatur) est totalis discessus, seu defectio à Fide Christiana: Unde *Apostata* à Fide ille dicitur, qui a Fide Christiana penitus recedit, eamque totaliter deserit, ut si Christianus ad *Judaismum*, vel *Paganismum*, transit, & *Judæus*, *Paganus*, vel *Turca* efficitur. Farinacius *de Hæresi. q.* 183. *num.* 13. Sylvester ℣. *Apostasia. num.* 1. Pirhing *h. t. num.* 2. cum Communi, *arg. L.* 1. 2. & 4. *C. h. t.* juncto *can. Beatus.* 2. *cau.* 3. *q.* 4.

3 Differt ab *Hæresi*; quòd hæc non ex toto, sed ex parte duntaxat, in uno, aut pluribus Articulis, *Apostasia* autem totaliter aberret à Fide. Hinc licèt illi, qui à vera Religione, & Fide Catholicâ ad Sectam aliquam hæreticam, *Lutheranam* v. g. vel *Calvinisticam* transeunt, vulgò *Apostatæ* dicantur, verè tamen, & propriè loquendo, *Apostatæ à Fide* non sint, nec pœnis contra *Apostatas* Jure communi specialiter statutis subjaceant; ut communiter advertunt Doctores.

4 Resp. II. *Apostatæ à Fide* incurrunt imprimis omnes pœnas, quibus *Hæretici* sunt obnoxii. Abbas *in c.* 1. *h. t. num.* 3. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 7. Farinacius *de Hæresi. q.* 183. *num.* 19. cum communi, & certa aliorum, *c. Contra.* 13. *de Hæret. in* 6. ibi: *Contra Christianos, qui ad ritum transierunt Judæorum &c. tanquam contra Hæreticos si fuerint de hoc confessi, aut per Christianos, seu Judæos convicti: Et sicut contra fautores, & defensores Hæreticorum: sic contra fautores, receptatores, & defensores talium est procedendum.* Ratio est; quia tales *Apostatæ* sunt verè *hæretici*, utpote deficientes à vera Fide, quam in Baptismo sunt professi. Hinc quamvis non omnis *hæreticus* sit etiam verus *Apostata à Fide*; tamen omnis *Apostata à Fide* est verè *Hæreticus*; uti bene advertunt Doctores citati.

5 Imò, quia *Apostasia à Fide* præter *hæresin*, quam includit, ulterius in malitia se extendit, graviùs adhuc quàm *hæresis* punitur; dum videlicet quamdiu vivunt semper, post mortem verò usque ad quinquennium accusari, & in suis puniri valeant, *l. Si quis.* 2. & *l. Apostatarum.* 4. *C. de Apostatis.* Nec suffragatur eis pœnitentia, uti *Hæreticis*, *l. Hi qui.* 3. *C. eodem.* ibi: *Lapsis enim, & Pœnitentibus subvenitur; perditis verò, hoc est, sanctum Baptisma profanantibus, nullo remedio succurritur.* Quòd si alios seducant, præter bonorum fortunæ jacturam capite plectuntur. *l. Eum* 5. *C. eodem.*

6 Porrò *Apostatæ à Fide* privantur etiam immunitatis, & libertatis privilegio, quod in Pace Religiosa, Monasteriensi item, & Osnabrugensi *hæreticis* concessum est; adeò ut sive Catholicus, sive Hæreticus à Fide Christiana totaliter deficiens Sectam *Judaicam*, *Mahometicam*, vel *Gentilem* & *Paganam* aliam assumeret, omnibus pœnis contra *Apostatas*, & *hæreticos* statutis subjaceret, uti liquet ex tenore dictorum Tractatuum *Pacis.*

7 Quæritur II. Quid sit, & quas pœnas secum trahat *Apostasia*, & *Apostata* à Religione, seu statu Religioso? Resp. I. Ad utramque hujus Quæsiti partem plenè patere *Lib. III. Tit. XXXI. de Regularibus, & Transeuntibus &c. §. VIII. à nu.* 247. ubi etiam distinctionem *Apostatarum* horum à *fugitivis* Religiosis attulimus, nec non obligationem eorumdem, & potestatem, ac obligationem Superiorum Regularium erga *Apostatas*, pœnas insuper quas incurrunt illi, qui *Apostatam*, vel fugitivum Religiosum suscipiunt, hinc Benevolum Lectorem illuc remittimus, ne superflua fiat repetitio.

8 Resp. II. Si *Apostatans* à statu Religioso ad Hæreticos transit, & (ut sæpè fit) Sectam illorum hæreticam etiam quoad unam duntaxat Hæresin assumit, omnibus pœnis contra Hæreticos utroque

Jure statim subjacet. Caret controversia, Ratio est; quia sic verè *hæreticus* est, consequenter pœnas *hæreticorum* incurrit. Nec excusatur, si deprehensus, aut sponte rediens dicat, (ut plerumque dicere solent) se externè duntaxat, & simulatè Sectam *Hæreticorum* assumpsisse, vel unam alteramve *hæresin* professum esse, internè autem semper Catholicum remansisse. Nam contra est, quòd Ecclesia judicet de externis, per *vulgaria*.

9 Nec liberat eos à pœnis saltem spiritualibus, & Jure Ecclesiastico statutis; si dicunt, se esse in loco & Provincia Germaniæ v. g. ubi vi *Pacis Religiosæ*, & *Monasteriensis* Hæretici immunes sunt à pœnis. Nam contra militant ea, quæ diximus suprà *Tit. VII. De Hæreticis à n.* 274.

10 Notandum tamen etiam, quòd si, ut fieri potest, & debet, tales à Religione *Apostatæ* deprehensi, vel sponte redeuntes ad perpetuos damnantur carceres, possit cum eis post aliquot annos dispensari, si cum emendationis, & veræ pœnitentiæ signis pœnam interea patienter sustinuêre, uti cum Farinacio diximus suprà *cit. Tit. VII.* §. *VI. à num.* 331.

11 Illud etiam hic addendum, non esse *Apostatas* personas discedentes à pia Communitate, quæ vera per Sedem Apostolicam approbata Religio non est; etiamsi juxta Instituti sui statuta, Novitiatum habeant, & tria vota ex devotione emittant, prout sunt Anglicanæ, & alii, ac aliæ hujusmodi piæ fœminæ in Communitate viventes Tamburinus *de Jure Abbat. Tom.* 3. *Disp.* 8. *q.* 1. *num.* 4. Sanchez *lib.* 6. *cap.* 8. *nu.* 7. & alii.

12 Controvertunt Doctores, num spectato Jure communi *Apostata* propriè talis sit, pœnisque Juris subjaceat, qui absque Superiorum suorum licentia propriam Religionem deserit, animo tamen aliam ingrediendi. Rodriquez siquidem *Tom.* 1. *qq. Regular. q.* 30. *a.* 1. Abbas *in c. fin. h. t. num.* 4. Sylvester ℣. *Apostasia q.* 4. *num.* 9. Pirhing *h. t. nu.* 8. post Glossam finalem *in c. fin. h. t.* volunt, talem de Jure communi, *Apostatam* propriè non esse; quia, aiunt, licèt talis illicitè agat, *arg. c. Joannes*, & *c. Non est. de Regular.* tamen ab omni statu Religioso non recedit, & ideo *Apostata* propriè talis non est.

13 Castro Palao econtrà *Tract.* 16. *Disp.* 4. *pun.* 16. *num.* 7. cum Suarez docent, talem etiam de Jure communi esse verum *Apostatam*, eò quòd Religionem propriam, quam semel professus est, illicitè & perpetuò deserat; quod ad *Apostasiam* à Religione sufficere putant. Nobis videtur prior sententia probabilior, quia inhærendo communi in odiosis & pœnalibus strictior interpretatio est sequenda, *arg. Odia*, & *c. In pœnis. de Reg. Jur. in* 6.

14 Resp. III. Pœnæ *Apostasiæ* à sola Religione, seu statu Religioso de Jure communi sunt sequentes. I. Est *Excommunicatio*, quæ ipso facto incurritur, si dimisso habitu contingat *Apostasia*; secus, si habitu retento fiat. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 8. *nu.* 20. Pirhing *h. t. nu.* 9. *arg. c. Ne Clerici, vel Monachi, in* 6.

15 II. Est *Suspensio* ab Ordinibus sacris (non item Minoribus) quos durante *Apostasia* suscepit: *Apostata*, quæ *Apostasia* etiam post pœnitentiam durat, donec à Papa dispensetur, ita expressè statutum habetur *c. fin. h. t.*

16 III. Est, quòd durante *Apostasia* existat privatus privilegiis suæ Religionis, Concilium Trident. *Sess.* 25. *de Regularibus. cap.* 19. ibi: *Interim verò nullo privilegio suæ Religionis juvetur.* Vide etiam *Lib. III. Tit. XXXI. à num.* 247.

17 Præter has pœnas Jure communi statuta sunt aliæ, quas Religiones in particulari per propria Statuta habent. Notandum enim, quamlibet ferè Religionem habere propria Statuta circa naturam *Apostasiæ*, & *Apostatas à Religione*, & pœnas eorum.

Et quidem in nostra Religione pro *Apostata* 18
habetur, & ut talis punitur omnis ille, qui sine legitima facultate sive cum habitu & socio, sive sine illis etiam cum prætextu Superiores accidendi, & animo redeundi, vel aliam Religionem intrandi à Conventu recesserit, punitur autem secundùm gradus *Apostasiæ*, quam committit.

Enim verò in dicta nostra Religione, alia *Apo-* 19
stasia dicitur, & est *levis*, alia *levior*, alia *levissima*: Item alia *gravis*, alia *gravior*, alia *gravissima*, *Apostasiam levem* committit, qui sine Superioris tacitâ, vel expressâ licentia è Conventu egressus, per diem naturalem duntaxat extra illum moratur. *Leviorem* committit, qui sine licentia exiens, extrà suum Conventum in alio loco, etiam Ordinis nostri pernoctaverit tantùm. *Levissima* verò, qui sine licentia egrediens eadem die ad Conventum revertitur.

Gravem Apostasiam apud nos committit, qui 20
sine licentia è Conventu discedens triduo extrà illum moratur, etsi accessum ad Superiorem Majorem prætendat. *Graviorem* committit, qui per octo dies extra Conventum moratur. *Gravissimam* tandem, qui dimisso etiam habitu intra duorum mensium spatium reversus non fuerit: vel qui retento etiam habitu ultrà duos menses in *Apostasia* perseveraverit; prout videre est in nostris Statutis Generalibus pro familia Cismontana editis sub Rmo P. Generali, Michaele Angelo de Sambuca, *cap.* 2. §. 8. ubi etiam pœnæ pro quavis *Apostasia* apponuntur: Atque *n.* 17. *ibid.* statuitur, etiam illum *gravis* vel *levis* Apostasiæ pro diversitate moræ, reum esse, qui cum licentia à Conventu egrediens, tamen sine necessitate aliò, vel aliâ viâ vadit, quàm sibi per facultatem liceat, quique tempus in facultate præscriptum excedit, quique sine socio de loco ad locum proficiscitur.

Inter quas pœnas est, quòd quivis etiam *le-* 21
vissima Apostasiæ Reus, ipso facto sit excommunicatus, uti patet ex Statutis *loc. cit. num.* 2. ubi in genere omnes & singuli *Apostatæ*, nullo excepto, ipso facto excommunicantur, uti post Portell. ℣. *Apostasia. in Addit. num.* 2. bene notat Kerchove *in Statuta. cap.* 6. §. 20. *num.* 2. Nec refert, quòd aliquæ *Apostasiæ* dicantur *leves*, *leviores*, *levissimæ*: aliæ *graves*, *graviores*, *gravissimæ*; quia tales non dicuntur respectu levis seu *venialis*, & gravis seu *mortalis* peccati: nam quævis etiam *levissima* est peccatum Mortale, indeque sufficiens Excommunicationis causa; sed dicuntur tales respectu ipsius *Apostasiæ*, quos suos gradus apud nos habet.

Porro sicut quævis etiam *levissima Apostasia* Ex- 22
communicationem, ita etiam pœnam carceris secum trahit, juxta citatorum Statutorum tenorem, quæ *loc. cit. num.* 34. de omnibus & singulis *Apostatis* universaliter etiam istud statuitur: *Tandem omnes Apostatas, etiam postquam redierint, & in quacunque Provincia reperiantur, ad aliquod Officium, nisi per decem annos post Apostasiam laudabiliter, & religiosè vixerint, promoveri non posse.*

Notandum tamen etiam, quòd postquàm memo- 23
rata Statuta nostra pœnas satis graves pro quavis Apostasia præscripsêre, ad finem *num.* 35. addant: *Possit tamen pro sua misericordia, in his pœnarum generibus, ubi personæ qualitas, & emendationis signa suadeant, medietate pœnitentiæ jam peractâ, Capitulum Provinciale, per suffragiorum secretorum majorem*

majorem partem (si bene visum fuerit) dispensare. Quæ licentia est specialis sicut in pœna Hæresis juxta dicta suprà *Tit. VII.* §. *VI. num.* 331. cùm alias Superior in pœna post latam sententiam dispensare non ampliùs valeat, ut alibi jam diximus, & magis adhuc dicemus infrà *Tit.* 37. *de Pœnis*, de quo vide etiam Kerchove *in Statut. Generalib. cap.* 6. §. 23. Cæterùm hæc specialia in Ordine nostro de *Apostatis* in gratiam eorum breviter dictæ sint, quibus Statuta Generalia non sunt ad manum.

24 Ad *Apostasiam à Religione*, seu statu Religioso alii reducunt etiam *Apostasiam ab obedientia*. Alii verò ex illa distinctam *Apostasiæ* speciem faciunt docendo, quòd largè, & generaliter loquendo, omne peccatum mortale dici possit *Apostasia ab obedientia*, unde *Eccles.* 10. dicitur: *Initium superbiæ hominis, Apostare à Deo.* Magis verò propriè illum *Apostasiam ab obedientia* committere dicunt, qui formaliter ex superbia, vel ex contemptu resistit Superiori humano legitimè præcipienti, vel SS. Canonibus, & justis Legibus obedire penitus recusat. *arg. can.* 1. & 2. *cau.* 3. *q.* 4. ibi: *Transgressores enim sponte legis suæ violatores, & recedentes, Apostatæ nominantur.*

25 Quæritur III. Quid sit? & quibus pœnis subjaceat *Apostasia*, & *Apostata* ab Ordine Sacro? Resp. I. *Apostasia* ab Ordine committitur, & *Apostata* ab illo dicitur; cùm quis in Sacris Ordinibus (puta *Subdiaconatu*, *Diaconatu*, *vel Sacerdotio*) constitutus ad statutum Laicalem, vel etiam conjugii, dimisso Clericali habitu proprià temeritate se transfert. Ita in re Communis. Patetque descriptio ex terminis.

26 Dicitur notanter *in Sacris Ordinibus constitutus*; licèt enim aliqui, cum quibus sentit Gonzalez *in c.* 1. *h. t. num.* 5. velint, illos quoque *Apostatas* esse, qui in *Minoribus* constituti, dimisso habitu Clericali ad statum Laicalem transeunt, *arg. cit. c.* 1. *h. t.* Tamen Covarruvias *de Sponsalib. p.* 2. *cap.* 9. §. 3. *num.* 2. cum Glossa *in c. Tua* 3. *h. t.* ℣. *Tolerandi.* probabiliùs docent, tales veros *Apostatas*, & pœnis *Apostasiæ ab Ordine* subjectos non esse; eò quòd recedendo a statu Clericali per *Minores* Ordines assumpto, nullum saltem grave crimen committant, *arg. c.* 1. *de Clericis conjugat.* cum Concordantiis; nec à statu perfectiori, sed à via duntaxat illius discedant, nec cogi valeant, ut ad statum Clericalem iterum redeant; uti tanquam *Apostatæ* cogi possunt, & debent, recedentes ab Ordine aliquo *Sacro*. Confirmatur communi praxi, & consuetudine, quæ est optima Legis interpres, *L.* 37. *ff. de Legib.* cùm passim videamus, aliquos in *Minoribus* jam constitutos, dimisso Clericali habitu ad statum Laicalem transire, & tamen propterea pœnis *Apostasiæ ab Ordine* non subjici, consequenter veros *Apostatas ab Ordine* non esse.

27 Verùm quamvis si in *Minoribus* constituti transeant ad statum Conjugii non sint veri *Apostatæ*, nec pœnis *Apostasiæ ab Ordine* subjecti, tamen Beneficia, si quæ habuêre, ipso facto, & ante omnem Judicis sententiam perdunt, prout ampliùs diximus *Lib. III. Tit. III. De Clericis conjugat. à num.* 9.

28 Resp. II. Pœnæ *Apostasiæ ab Ordine Sacro* sunt sequentes. I. Est *Excommunicatio* non quidem latæ, sed ferendæ sententiæ; nisi Clericus in *Sacris* constitutus Matrimonium contrahere præsumpserit. Abbas *in c.* 1. *h. t. num.* 3. Pirhing *h. t. num.* 5. Sanchez *de Matrimon. lib.* 7. *Disp.* 48. *num.* 1. *arg. c.* 1. *h. t.* & *Clement. unic. de Consanguin.* & *Affin.*

II. Tales *Apostatæ* ipso facto sunt *infames*. Pir- 29
hing *h. t. num.* 5. *arg. can. Alieni.* 23. *cau.* 2. *q.* 7. & *can. Beatus* 2. *cau.* 3. *q.* 4. consequenter etiam inhabiles ad actus, dignitates, & honores, à quibus excluduntur *infames*, v. g. ad ferendum testimonium, accusandum &c. Pirhing *h. t. n.* 5. Diaz *in Practic. crim. cap.* 115. *num.* 2.

III. Est *Irregularitas*, præsertim si Matrimonium 30
contrahere attentat talis *Apostata*: Tum quia sunt *Bigami* similitudinarii, prout diximus *Lib. I. Tit. XXI. de Bigamis non ordinand. à num.* 15.

IV. Est *Amissio* privilegii Canonis, ita ut per- 31
cutiens talem non incurrat Excommunicationem in Percussores Clericorum latam, *cau. Si quis suadente.* 17. *q.* 4. Ita desumitur ex *c.* 1. *h. t.* & *c. Perpendimus.* 23. *de Sententia Excommun.* quæ pœna præcipuè tunc locum habet, si talis *Apostata*, ab Episcopo ter admonitus non resipiscat, *c. In audientia* 23. *eod.*

V. Possunt Episcopi tales *Apostatas*, qui nec mi- 32
nis, nec blanditiis induci volunt ad resumendum habitum, duro mancipare carceri, *ita ut solummodò vita sibi misera reservetur, donec à suæ præsumptionis nequitia resipiscant.* prout expressè statutum habetur *c. A nobis.* 5. *h. t.*

Quæritur IV. circa alteram Rubricæ partem, 33
quid intelligatur per *Reiterantes Baptisma*, seu *Anabaptistas*? qualiter delinquant? & quas pœnas incurrant? Resp. I. *Reiterantes Baptisma*, seu *Anabaptistæ* sunt, & dicuntur illi, qui alios absolutè; & scienter rebaptizant, seu sæpiùs, quàm semel baptizant, vel qui se rebaptizari permittunt: Et hi gravissimum sacrilegium, immanissimum scelus, & inexpiabile facinus committunt, ut dicitur *can. Rebaptizare.* 108. *can. Cùm itaque* 112. *de Consecrat.* eò quòd Baptisma rite collatum indelebilem imprimat Characterem, ac propterea irreiterabile sit, prout novissimè etiam definitum habetur à Concilio Tridentino *Sess.* 7. *can.* 9. & *can.* 11. & *Sess.* 14. *cap.* 2.

Resp. II. Pœnæ *Anabaptistarum* sunt sequentes, 34
videlicet, quòd Jure Civili ultimo afficiantur supplicio tam illi, qui rebaptizant, quàm qui se rebaptizari sinunt, *l. Si quis.* 2. *C. Ne sanctum Baptisma*, ibi: *Si quis rebaptizare quempiam de Ministris Catholicæ Sectæ fuerit detectus, unà cum eo, qui piaculare crimen commisit (si tamen criminis per ætatem capax sit) & hic, cui persuasum sit; ultimo supplicio percellatur.*

Jure Canonico verò contrahunt *Irregularitatem*. 35
Navarrus *in Manuali. cap.* 27. *num.* 246. Barbosa *in c.* 2. *h. t. num.* 2. Pirhing *h. t. num.* 13. & 15. *arg. c.* 2. *h. t. can. Confirmandum.* 65. *dist.* 50. *can. Assos.* 3. *dist.* 98. *can. Qui in qualibet.* 10. *cau.* 1. *q.* 7. *can. Eos* 118. *dist.* 4. *de Consecrat.* cum Concordantiis.

Imò non tantùm *Rebaptizantes*, sed etiam his 35
ad rebaptizandum ministrantes, ut Acolythi, Subdiaconi, Disconi, irregularitatem saltem in tantum contrahunt, ut ad Ordines superiores ascendere non ampliùs valeant, si crimen sit publicum, *arg. c.* 2. *h. t.* ubi licèt de solo Acolytho ministrante sermo fit, tamen etiam idem de aliis Ministris meritò extendunt Barbosa *in cit. c.* 2. *h. t. num.* 8. Pirhing *h. t. num.* 14. & alii. Ratio est; quia non respectu solius Acolythi quâ talis, sed ratione Ministerii ex Officio præstiti, Ministrans *Rebaptizanti*, Irregularitatem contrahit; quæ ratio etiam in aliis militat.

Dicitur autem notanter in Conclusione, *qui ab-* 37
solutè, & *scienter*; qui enim non absolutè sed sub conditione, *Si non es baptizatus, te baptizo*, quis rebapti-

rebaptizat, aut rebaptizatur, Irregularitatem non incurrit; etiamsi temerè, & sine præviâ inquisitione, utrum jam baptizatus fuerit, id fiat. Barbosa *in c. 2. h. t. num.* 2. Layman *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *cap.* 2. *num.* 1. Navarrus *in Man. cap.* 27. *num.* 246. Pirhing *h. t. num.* 13. Bonacina, & alii. Ratio est; Tum quia leges pœnales debent intelligi cum effectu, qualis in tali casu non haberetur hoc ipso, quòd conditio apposita, si subest, suspendat, & impediat actum, eumque cessare faciat: Tum quia sub conditione *Baptizans* non habet intentionem rebaptizandi jam priùs baptizatum; cùm *actus agentium non operentur ultrà intentionem* illorum, *arg. l. Non omnis. ff. Si certum petatur.*

38 Pariter ab *Irregularitate* immunis est, qui ex ignorantia (dummodò crassa non sit) rebaptizat, aut rebaptizatur. Scotus *in* 4. *dist.* 6. *q.* 8. Layman *loc. cit. num.* 1. & 2. Covarruvias *Man. cap.* 27. *num.* 146. cum Communiori, & probabiliori aliorum. Ratio est: Tum quia hæc *Irregularitas* imponitur propter delictum; ergo ubi ob ignorantiam abest delictum; seu culpa, abest etiam *Irregularitas:* Tum quia propriè loquendo, non censetur *iteratum, quod nescitur esse factum, can. Solemnitates.* 16. *dist.* 1. *de Consecrat.*

39 Objiciunt Adversarii *can. Qui in qualibet.* 10. *cau.* 1. *q.* 7. ubi dicitur: *Qui in qualibet ætate alibi, quàm in Ecclesia Catholica baptizati, aut rebatizati sunt, ad Ecclesiasticam militiam prorsus non permittantur accedere.* Item can. *Qui bis.* 117. *dist.* 4. *de Consecrat.* ibi: *Qui bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eo pœnitere, nisi quòd secundùm Canones ordinari non possunt, nisi magna aliqua necessitas cogat.* Resp. Per hos Canones nil probari contra doctrinam *num. præced.* positam. Nam primus textus intelligi debet de ætate discreta, & doli capace, ut bene ibi explicat Glossa ℣. *Ætate,* & colligitur ex verbis subsequentibus; atque concordat *can. Placuit.* 3. *can. Qui apud.* 4. *cau.* 1. *q.* 4. ubi expressè habetur, parvulos ab Hæreticis baptizatos, posteà si adulti ad Fidem, & Ecclesiam fuerint conversi, ad Ordines promoveri posse; additur ratio, videlicet, *quia suo id non fecerunt judicio.* Ad *can. Qui bis,* respondetur, illum non habere vim Legis, cùm nec à Papa, nec ab aliquo Concilio proveniat, sed desumptus sit ex *Pœnitentiali* Theodori, ut bene advertit Covarruvias *loc. cit.*

40 Cæterùm in *Irregularitate,* quæ contrahitur ob iteratum *Baptisma* solus Papa dispensare potest, si delictum est publicum. Barbosa *in c.* 2. *h. t. num.* 7. Palao *Tract.* 27. *disp.* 6. *pun.* 16. *num.* 14. Pirhing *h. t. num.* 16. *arg. cit. c.* 2. *h. t.* Si verò delictum est occultum, dispensare valet Episcopus vigore Concilii Tridentini *Sess.* 24. *de Reformat. cap.* 6.

41 Quæritur V. Num etiam ob iterationem Sacramenti *Confirmationis* contrahatur *Irregularitas.* Ratio dubitandi, & affirmativam tenendi desumitur ex *can. Dictum.* 8. *dist.* 5. *de Consecrat.* ubi æqualiter prohibetur reiteratio *Baptismi,* & *Confirmationis.* Quo non obstante Resp. *Negativè* Covarruvias *in cit. Clem. Si furiosus. p.* 1. *num.* 8. & alii Ratio est; quia nulla in Jure reperitur statuta Irregularitas in reiterantes *Confirmationem,* ubi autem in Jure expressa non est, afferi non potest, *arg. c. Is qui.* 18. *de Sentent. Excommun. in* 6. ibi: *Irregularitatis tamen (cùm id non sit expressum in Jure) laqueum non incurrit.*

42 Ad *can. Is qui.* respondetur, ibi quidem æqualiter prohiberi reiterationem utriusque Sacramenti, non tamen æqualem pro utriusque *reiteratione* pœnam statui; consequenter cùm pœnæ non sint extendendæ de casu ad casum *per ea, quæ diximus lib. I. Tit. II. de Constit. num.* 429. eas, quæ contra *iterantes Baptisma* statutæ sunt, ad iterantes Confirmationem extendere non debemus.

TITULUS X.

De His, qui filios occiderunt.

SUMMARIUM.

1 *Ratio continuationis.*
2 *Parricidium propriè dictum quid?*
3 *Lege humanâ olim habebant parentes potestatem in liberos suos.*
4 *Parricidium impropriè, & largè tale quid?*
5 *Pœna Parricidii propriè talis, quæ olim fuerit de Jure Civili.*
6 *Et quæ hodie sit?*
7 *Pœna Parricidii impropriè talis quæ?*
8 *Quæ pœna Jure Canonico infligatur proli necanti parentem?*
9 *Et quæ parenti necanti prolem? Et num. seq.*
10 *Clericus Parricida hodie debet degradari, & Curiæ sæculari tradi.*
11 *Prohibitum est ordinariè, ne parentes in eodem lecto tenentes tenellum infantem, dormiant.*
12 *Pœna contrarium facientium. Et num. præced.*
13 *Quam pœnam Jure Civili incurrat Mater procurans abortum fœtus animati?*
14 *Et quam, si fœtus adhuc inanimatus erat?*
15 *Jure Ecclesiastico, præsertim per Bullam Sixti V. gravissimæ statutæ sunt pœnæ contra omnes directè, ac indirectè procurantes abortum, juvantes item, consulentes &c.*
16 *Refertur dicta Sixti V. Bulla per extensum.*
17 *Hanc Bullam Sixti V. moderavit Gregorius XIV. quoad pœnas procurantium abortum fœtus inanimati, non item animati.*
18 *Refertur Bulla Gregorii XIV. per extensum.*
19 *Referuntur in compendio gravissimæ etiamnum vigentes pœnæ contra quovis modo procurantes abortum fœtus animati, aut consulentes, vel juvantes ad illum.*
20 *Ex quibus aliquæ obligant in Foro conscientiæ ante omnem Judicis sententiam: Et quæ?*
21 *Aliquæ non nisi post sententiam criminis declaratoriam: Et quæ?*
22 *Quid Juris circa dispensationem ab his pœnis?*
23 *Non potest Episcopus dispensare in irregularitate, & inhabilitate ad Beneficia, ob procurationem abortûs contractæ: Et num. præced.*
24 *Solvitur instantia ex Tridentino.*
25 *Doctrina practica, quam miseri sint Clerici, quovis modo abortum fœtus animati, procurantes, vel ad eum juvantes, consulentes &c.*
26 *Plura de procuratione Abortûs: Remissivè.*

POst Crimina, quibus contra Deum, ejusque divinum cultum immediatè, & principaliter delinquitur, recto ordine pergit Compilator ad delicta, quibus proximus læditur in corpore & vitâ, utpote quæ inter temporalia est summum hominis bonum. Hinc in præsenti, & nonnullis sequentibus Titulis de *Homicidio,* quo vita hominis tollitur, tractatur. Et quoniam inter *Homicidia* omnium gravissimum est *Parricidium,* de hoc ante omnia in præsenti Titulo agitur.

Quæri-

2 Quæritur I. Quid sit *Parricidium?* & quæ pœnæ ipsius? Resp. I. Parricidium propriè tale, est homicidium, quo proles parentem, avum, aut aviam, vel parens prolem occidit. Communis. *l. un. C. de His, qui parentes aut filios occid.* & *L.* 1. *ff.* & *l. Pœna parricidii. ff. Ad Legem Pompejam de Parricidio.* Nec refert, sive quis patrem, sive matrem, sive legitimum, sive naturalem duntaxat occidat, aut ab horum aliquo occidatur proles, aut si hæc incæstuosa, adulterina, aut sacrilega sit, quodvis enim hujusmodi homicidium, propriè dictum *Parricidium* est. Clarus §. *Parricidium. n.* 2. Farinacius *in Praxi Criminal. p.* 5. *q.* 120. *sect.* 5. *num.* 105. Alexander *in l. Ex facto.* §. *Si quis rogat. ff. ad S. C. Trebell.*

3 Nam licèt olim Lege Civili parentum potestas etiam in vitam liberorum fuerit, ut asseritur *l. In suis.* 11. *ff. de Liber.* & *posthum.* & *l. fin. C. de Patria potestate.* ibi: *Patribus, quibus jus vitæ in liberos, necisque potestas olim erat permissa:* tamen hæc potestas eis etiam Lege humana fuit adempta, *l. Divus.* 5. *ff. Ad legem Pompejam, de Parricidio,* & *L. un. C. de Emendat. Proping.* ut proin necem, quâ parens prolem occidit, *Parricidium* esse, *extrà controversiam sit.*

4 Dicitur autem notanter in Conclusione *num.* 2. positâ, *Parricidium propriè tale;* quia impropriè & largè loquendo, *Parricidium* est & dicitur quodvis Homicidium cujusvis Consanguinei etiam collateralis, vel etiam Affinis, item & conjugis, *cit. L.* 1. *ff. Ad Legem Pompejam de Parricidio:* ibi: *Lege Pompeja de homicidio cavetur, ut si quis patrem, matrem, avum, aviam, fratrem, sororem, patruelem, matruelem, patruum, avunculum, amitam, consobrinum, consobrinam, uxorem, virum, generum, socrum, vitricum, privignum &c. occiderit: sed & mater quæ filium, filiamque occiderit &c. & avus qui nepotem occiderit &c.* Ad *Parricidium impropriè tale* reducitur etiam homicidium Novercæ, sponsi item, vel sponsæ, *l. Sed sciendum.* 3. *ff. Ad Legem Pompejam de Parricidio.*

5 Resp. II. Pœna *Parricidii propriè talis* Jure Civili olim erat, ut sequitur: *Si quis parentis, aut filii, aut omnino affinitatis ejus quæ nuncupatione parentum continetur, fata præparaverit (sive clam sive palam id ausus fuerit) nec non is, cujus dolo malo id factum est, vel conscius Criminis extitit, licèt extraneus sit, pœnâ Parricidii puniatur & neque gladio, neque ignibus, neque ulli alii solemni pœnæ subjiciatur, sed insutus culeo cum cane & gallo gallinaceo, & viperâ & simia, & inter eas ferales angustias comprehensus (secundùm quòd regionis qualitas tulerit) vel in vicinum mare, vel in amnem projiciatur, ut omnium elementorum usu vivus carere incipiat, & ei cœlum superstit, & terra mortuo auferatur.* Ita expressè statutum habetur §. 6. *Instit. de Publicis Judiciis* quòd idem etiam statuitur *l. Pœna parricidii. ff. Ad Legem Pompejam de Parricid.* & *l. un. C. De his, quæ parentes, vel liber.*

6 Verum hæc pœna ob periculum desperationis non ampliùs est in usu (exceptâ Hispaniâ, in qua teste Gomez *lib.* 3. *variar resolut. cap.* 3. *n.* 4. adhuc viget) sed juxta *Constitutionem Criminal. Caroli V. a.* 131. mater (idem est de aliis *Parricidiis*) qui vivum infantem à se editum malitiosè occidit, viva in terra defodi, & per ejus corpus stipes, seu palus transfigi, aut ad desperationem evitandam aquâ suffocari debet. Verùm & hæc pœna in usu esse desit, ejusque loco aliæ pœnæ pro diversitate circumstantiarum, arbitrio Judicis, & consuetudine locorum, vel Legum Municipalium exasperandæ, vel mitigandæ infliguntur: alicubi enim ad caudam equi ligati trahuntur, & posteà rotæ affiguntur: alibi membra cruciantur rotâ: alibi decapitantur, & capita sola rotæ affiguntur: alibi strangulantur, & dolio inclusi in flumen projiciuntur, uti videre est apud Julium Clarum ℣. *Parricidium. num.* 5. plures similes pœnas referentem.

Resp. III. Pœna *Parricidii impropriè talis* Jure Civili est pœna Legis Corneliæ *de Sicariis,* id est ordinarium homicidii supplicium, *cit.* §. 6. *Institut. de Publicis Judiciis:* ibi: *Si quis autem aliàs cognatione, vel affinitate personas conjunctas necaverit, pœnas legis Corneliæ de Sicariis sustinebit.* Quod idem habetur *l.* 1. & *l. Pœna Parricidii.* 9. *ff. Ad Legem Pompejam, de Parricid.* ibi: *Qui autem alias personas occiderit, præter patrem, & matrem, avum, & aviam, capitis pœna plectetur, aut ultimo supplicio mactetur.* Ita tamen ut etiam pro diversitate circumstantiarum ac consuetudinis locorum pœna hæc exasperetur. Et quidem juxta *Constitutionem Criminal. Caroli V. art.* 137. *in fine,* persona, quæ conjugem, aut consanguineum proximiorem occidit, ante forcipibus ardentibus aduritur, vel trahæ imposita ad locum supplicii rapitur. 7

Resp. IV. Jure Canonico, qui Matrem occidit (idem dic de alio *Parricida* patris) subjacet pœnis, quæ recensentur *can. Latorem.* 15. *cau.* 33. *q.* 2. illis verbis *Latorem præsentium Matricidam esse cognoscimus. Cui præcipimus, ut sub pœnitentiæ jugo permaneat ita ut per annum integrum Ecclesiam non ingrediatur, sed ante foras Basilicæ orans, & deprecans Deum perseveret, qualiter tanto eripiatur piaculo. Completo verò anni circulo introeundi in Ecclesiam licentiam habeat: tamen inter audientes stet, sed nondum communicet. Completis autem trium annorum curriculis sacræ communionis ei gratia concedatur: oblationes verò non offerat, nisi priùs aliorum septem annorum curricula expleantur.* 8

His autem omnibus annis, atque temporibus carnem non manducet, nec vinum bibere præsumat, exceptis festis diebus, atque Dominicis, & à Pascha usque ad Pentecostes. Et quocunque ire voluerit, nullo vehiculo deducatur: sed pedibus proficiscatur, arma non sumat, nisi contra Paganos: jejunet autem tribus diebus per hebdomadam usque ad vesperam. A propria quidem, ac legitima conjuge non separetur, ne in fornicationis voraginem corruat: quod ne fiat, optamus. Si autem ante annorum trium cursum finis vitæ illius appropinquaverit, corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi participet fiat: sin autem, ut suprà statuimus, efficiatur: tamen, si illius conversionem, & lacrymarum fontem in omnibus videritis floridis actionibus, & optimis operibus pullulare, humaniùs circa eum vestra solicitudo pervigil appareat, mitisque omnibus demonstretur. 9

Parens verò vidua occidens prolem debet ad agendam pœnitentiam in Monasterium detrudi, & si nullum est incontinentiæ periculum, à secundis nuptiis arceri. *c.* 1. *h. t.*

Verùm recensitæ hæ pœnæ per Canones statutæ hodie non ampliùs sunt in usu: Unde in casu *Parricidii* id observare habet Judex Ecclesiasticus, ut Laicum *Parricidam* illico remittat Judici sæculari, pœnis Legis puniendum: Clericum verò priùs juxta præscriptum Canonis deponat, ac degradet, sicque degradatum Curiæ sæculari tradat; cùm enim propter simplex homicidium Clericus degradari, & in arctum Monasterium detrudi debeat, *c. Cùm ab homine.* 10. *de Judiciis,* & *c. Titæ.* 6. *de Pœnis,* pro qualificato homicidio utique graviùs puniri debet; consequenter Curiæ sæculari tradi; quia aliam graviorem pœnam non habet, cùm Excommunicatio locum 10

non

non habeat nisi in Reum incorrigibilem, Pirhing *h. t. num.* 5.

11 Illud etiam ad propositum notandum, quòd à Jure Canonico prohibeatur, ne parentes tenendo secum in eodem lecto tenellos infantes dormiant, *can. Consuluisti* 20. *cau.* 2. *q.* 5. ibi: *Monendi atque protestandi parentes, ne tam tenellos secum in illo lecto collocent, ne negligentia qualibet proveniente suffocentur, aut opprimantur, unde ipsi homicidii rei inveniantur.* Quòd si contra hanc prohibitionem agentibus parentibus infans mortuus reperiatur, & nesciatur, cujus culpa patris aut matris id contigerit, per tres annos, & quidem uno integro in pane & aquâ transigere debent. *c. fin. h. t.* hoc ipso quòd licet mortem infantis non intenderint, nec præviderint, mortis tamen periculo eundem exposuerint, Valleusis *h. t. num.* 2. Verùm hanc quoque pœnitentiam non ampliùs in usu esse, & pœnam arbitrio Judicis injungendam esse, testantur Abbas *in c. fin. h. t. in fine*, Decianus *Praxi Criminal. lib.* 9. *cap.* 8. *n.* 20. Menochius *lib.* 2. *de Arbitr. Judic. q.* 356. *num.* 61. Imò si talis *Cubatio* omni culpâ caret, uti juxta Barbosam *in c. fin. h. t. num.* 2. contingere potest, si v. g. lectus est latus, & puer implacabilis, qui aliter à frigore defendi non possit, & mulier in sommo suum retinere soleat situm ac locum, omnis pœna cessabit. Pirhing *h. t. num.* 8.

12 Econtrà verò si parens aliquis hujusmodi homicidii ex memorata simultanea *Cubatione* in lecto culpabiliter reus probetur, aut talem se fateatur, jubente sacro Canone utique puniri debet: *arg. cit. can. Consuluisti.* 20. *cau.* 2. *q.* 5. ibi: *Hi autem, qui probantur, vel confitentur talis reatûs se noxios, tua eos castiget moderatio; quia si ille, qui conceptum in utero per abortum deleverit, homicida est; quantò magis, qui unius saltem diei puerulum peremerit, homicidam se esse excusare nequibit.*

13 Quæritur II. Specialiter, quibus pœnis subjaceant parentes, & alii Abortum procurantes? Resp. I. Mater, quæ procurat Abortum fœtûs jam animati, eumque vel in utero necat, vel vivum expellit, ac interimit, verum *Parricidium* committit, pœnarumque illius Jure Civili constitutarum rea est: de cujus Juris legibus & pœnis, vide suprà *à num.* 5. Quibus adde *l. Cicero.* 39. *ff. de Pœnis*, & *Constitut. Criminal. Caroli V. art.* 133. ubi pœna Capitalis contra ita delinquentem specialiter statuitur.

14 Resp. II. Si verò fœtus nondum fuit animatus, Jure Civili nec homicidii, nec ultimi supplicii rea, sed pœnâ Judicis arbitrariâ, v. g. exilii, fustigationis punienda erit Mater *Abortum* procurans. Clarus §. *fin. q.* 68. *num.* 2. Menochius *de Arbitr. Judic. casu* 357. *arg. l. Si mulierem.* 8. *ff. Ad Legem Cornel.* sic & *l. Cicero.* 39. *ff. de Pœnis Constitut. Criminal. Caroli V. art.* 133.

15 Resp. III. Jure Ecclesiastico gravissimæ statutæ sunt pœnæ contra quoscunque sive directè, sive indirectè procurantes *Abortum*, præcipuè verò per Constitutionem Sixti V. *Ad effrænatam*, quæ est 87. inter Constitutiones dicti Pontificis in *Tomo II. Bullarii* Cherubini, digna, ut per extensum hic referatur.

16 *Effrænatam perditissimorum hominum contra divina legis præceptum de non occidendo, peccandi audaciam atque licentiam, sanctissimis legibus, variisque constitutionibus sæpiùs repressam animadvertentes; cogimur nos quoque in supremo justitiæ throno à Domino constituti, justissimâ ratione suadente, vetera jura partim innovando, partim ampliando, eorum etiam immunitatem pari pœnâ propositâ coercere, qui immaturos fœtûs intrà materna viscera adhuc latentes crudelissimè necare non verentur. Quis enim non detestetur tam execrandum facinus, per quod nedum corporum, sed quod gravius est, etiam animarum certa jactura sequitur? quis non gravissimis suppliciis damnet illius impietatem, qui animam Dei imagine insignitam, pro qua redimenda Christus Dominus noster pretiosum sanguinem fudit, æternæ capacem beatitudinis, & ad consortium Angelorum destinatum, à beata Dei visione exclusit, reparationem cælestium sedium quantum in ipso fuit, impedivit, Deo servitium suæ creaturæ ademit? Qui liberos priùs vitâ privavit, quam illi à natura propriam lucem accipere, aut se materni custodia corporis ab efferata sævitia tegere potuerint? Quis non abhorreat libidinosam impiorum hominum crudelitatem, vel crudelem libidinem, quæ eò usque processit, ut etiam venena procuret, ad conceptos fœtus intrà viscera extinguendos & fundendos, etiam suam prolem priùs interire quàm vivere, aut si jam vivebat, occidi, antequàm nasci nefario scelere moliendo? Quis denique non damnet gravissimis suppliciis illorum scelera, qui venenis, potionibus, ac maleficiis mulieribus sterilitatem inducunt, aut ne concipiant, ne pariant, maleficis medicamentis impediunt? Maleficos, inquit Dominus ad Moysen, non patieris vivere; nimis enim impudenter contra Dei voluntatem se opponunt, qui, ut S. Hieronymus ait, dum natura recipit semen, receptum confovet, confotum corporat, corporatum in membra distinguit, dum inter ventris angustias DEI, manus semper operatur, idemque corporis creator & animæ est, impiè despicit bonitatem Figuli, id est DEI, qui hominem psalmavit, fecit, & voluit; siquidem ut Sanctus testatur Ambrosius, non mediocre munus est Dei dare liberos propagatores generis. Divinum donum est fœcunditas parientis, eodemque tempore diro hoc flagitio privantur liberis parentes, qui generaverant; vita Filii, qui generati sunt, matres conjugii præmiis, terra quæ ab his coleretur, mundus qui ab eisdem cognosceretur, Ecclesia quæ devotæ numero plebis aucta gauderet. Unde non immeritò sextâ Synodo Constantinopolitanâ sancitum est, ut personæ quæ dant abortionem facientia medicamenta, & quæ fœtus necantia venena accipiunt, homicidæ pœnis subjiciantur, sed & veteri Concilio Ilerdensi cautum est, ut qui conceptos ex adulterio fœtus necare non puduerint, vel qui in ventris matrum potionibus aliquibus colliserint, si posteà pœnitentes ad Ecclesiæ mansuetudinem recurrant, omni tempore vitæ suæ flentibus, & humilitati insistant; si verò Clerici fuerint officium ministrandi eis recuperare non liceat, omneque tam Ecclesiasticæ quàm prophanæ Leges gravibus pœnis afficiunt eos, qui in utero matris puerperium interimi, aut ne mulieres concipiant, sive ut conceptos fœtus ejiciant, nefariè machinantur.*

§. 1. *Nos igitur post repressam eorum temeritatem, qui matrimonii jura violare, & quantùm in ipsis est vinculum indissolubile dissolvere præsumunt, quive turpioribus quibusdam incestis se inquinare non erubescunt, hoc quoque malum, quantum viribus nobis à Domino traditis contendere possumus, nostris potissimùm temporibus exterminare volentes: Omnes, & quoscunque tam viros, quàm mulieres cujuscunque statûs, gradûs, ordinis, etiam Clericos sæculares, vel cujuscunque Ordinis, sæculares, quâvis dignitate & præeminentiâ Ecclesiasticâ mundanâ fulgentes, qui de cetero per se, aut interpositas personas abortûs seu fœtus immaturi, tam animati, quàm inanimati, formati vel informis ejectionem procuraverint, percussionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus, laboribus,*

que mulieri prægnanti impositis, ac aliis etiam incognitis, vel maximè requisitis rationibus, ita ut re ipsâ abortus inde secutus fuerit, ac etiam prægnantes ipsas mulieres, quæ scienter præmissa fecerint, pœnas tam divino quàm humano jure, ac tam per Canonicas sanctiones, & Apostolicas constitutiones, quam Civilia jura adversus veros homicidas, qui homicidium voluntarium actu & re ipsa patraverint, propositas & inflictas (quorum omnium tenores his nostris literis pro expressis, & ad verbum insertis habemus) eo ipso incurrere, hac nostra perpetuò valitura constitutione statuimus, & ordinamus, ipsasque pœnas, leges, & constitutiones ad casus præfatos extendimus.

§. 2. *Eos verò, qui Clerici fuerint, omni privilegio Clericali, officiis, dignitatibus, & beneficiis Ecclesiasticis, quæ sic vacatura nostræ, & Sedis Apostolicæ dispositioni perpetuò reservamus, ipso facto privamus, & in futurum inhabiles ad ea suscipienda decernimus, adeo ut illi, qui hoc delictum commiserint, non secus atque ii, qui sûâ voluntate homicidium perpetraverint, juxta Concilii Tridentini decreta, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec aliâ ratione publicum, sed occultum fuerit, ad sacros Ordines promoveri, aut in susceptis Ordinibus ministrare nullo modo possint, nec illis aliqua Ecclesiastica beneficia, etiamsi Curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni Ordine ac Beneficio, & Officio perpetuò careant.*

§. 3. *Nec non & illos, qui Clerici non fuerint, & talia perpetraverint, non solùm pœnas incurrere suprà narratas, sed etiam inhabiles ad Ordines & alia prædicta decernimus & declaramus.*

§. 4. *Volentes quòd hi, qui foro Ecclesiastico subjecti, ut præfertur deliquisse comperti fuerint, per Judicem Ecclesiasticum depositi & degradati, Curiæ & potestati sæculari tradantur, quæ de eis illud capiat supplicium, quod contra laicos verè homicidas per divinas Leges, ac Civilia Jura est dispositum.*

§. 5. *Præterea eisdem pœnis teneri omnino statuimus eos, qui sterilitatis potiones, ac venena potionibus propinaverint, & quo minùs fœtum concipiant, impedimentum præstiterint, ac ea facienda & exequenda curaverint, sive quocunque modo in his consulverint, ac mulieres ipsas quæ eadem pocula sponte ac scienter sumpserint.*

§. 6. *Quo circa mandamus universis & singulis Judicibus ordinariis & delegatis, tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus, quibus contra criminum reos etiam quoad causas hujusmodi de jure vel ratione delicti, aut personarum legitimè competet jurisdictio, ita tamen ut inter eos præventionis locus sit, ut in his delictis, quæ ut plurimum in occulto perpetrantur, contra quoscunque, non solùm per accusationem & delationem, verùm etiam per inquisitionem ac simplicem denuntiationem procedant, ac ad illa probanda testes aliàs de Jure inhabiles, eorundem tamen Judicum arbitrio, habitâ ratione personarum, causarum, & qualitatum illarum, ac circumstantiarum quarumcunque, admittant, ac in eos qui culpabiles fuerint, prout per nos sancitum est, demum animadvertant.*

§. 7. *Insuper ut immanissimi hujus delicti gravitati non solùm temporalibus, verùm tamen spiritualibus pœnis prospiciamus, ac provideamus, omnes & singulos cujuscunque statûs, gradûs, ordinis, & conditionis existentes, tam Laicos, quàm Clericos, sæculares & cujuscunque ordinis regulares, nec non mulieres sæculares, & quemcunque Ordinem professas, qui vel quæ, vel uti principales, vel ut sociæ consciæve ad tale facinus committendum, opem, consilium, favorem, potionem, vel alia cujuscunque generis medicamenta scienter dederint, ac etiam scribendo literas privatas vel apochas, vel alias verbis aut signis juverint aut consuluerint, ultrà suprà dictas pœnas, ipso facto nunc prout ex tunc excommunicamus, & pro excommunicatis declaramus.*

§. 8. *Decernentes ac declarantes, quòd per quæcunque Jubilæa & Indulgentias, per nos & Successores nostros, etiam anno Jubilei, aut alio quovis tempore, etiam Cruciatæ sanctæ, Jubilei, vel quovis alio titulo concessas & concedendas, nec non per quascunque litteras Apostolicas quibusvis Principibus, seu ad eorum instantiam per nos & Successores nostros pariter concessas & concedendas, ac etiam vigore privilegiorum Mare magnum, vel alias quomodolibet nuncupatorum, quibusvis Congregationibus Regularium, aut Episcopis vigore Concilii Tridentini vel aliàs per nos & Prædecessores nostros quomodocunque concessorum, vel in futurum concedendorum, nec personæ sic ut præfertur delinquentes & excommunicatæ, præterquàm in mortis articulo absolvi valeant, nec cum iis Clericis, qui hujusmodi delicta perpetraverint, etiamsi eorum Crimen occultum fuerit, super irregularitate præmissorum occasione contracta, nec per locorum Ordinarios, nec per alios quâvis auctoritate fungentes, quàm per nos & Rom. Pontific. nostros Successores & tunc non nisi urgentissimis de causis dispensari possit. Ac tam absolvendi, quàm dispensandi facultatem hujusmodi etiam quoad forum conscientiæ in casibus superiùs expressis, nobis & Successoribus nostris duntaxat reservamus.*

§. 9. *Statuentes sic in præmissis universis & singulis per quoscunque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & impetrandi facultate & auctoritate, in quavis causa & instantia judicari & definiri debere irritumque & inane, quidquid secus super his à quoquam, quâvis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.*

§. 10. *Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, aut aliis legibus aliter forsan circa præmissa disponentibus, aut in casibus præfatis distinguentibus, cæterisque contrariis quibuscunque.*

§. 11. *Volumus autem, ut præsentium literarum exemplis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides in judicio & extrà adhibeatur, quæ originalibus literis exhibitis adhiberetur. Quòdque eadem ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ, de more publicatæ & affixæ, dimissis inibi earum exemplis, post quindecim dierum spatium à die hujusce publicationis numerandorum, quemcunque afficiant, ac si unicuique forent intimatæ, cùm non sit verisimile, quemquam ea posse ignorare, quæ palam ac publicè fuerint evulgata.*

§. 12. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, statutorum, ordinationis, extensionis, decretorum &c. Si quis hoc attentare præsumserit &c.*

Dat. Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ 1588. *Kalend. Novemb. Pontif. nostri Anno* 4.

Hanc rigidam Bullam *Sixti V.* moderavit quidem posteà *Gregorius XIV.* sed nonnisi circa absolutionem ab Excommunicatione, & circa directè vel indirectè procurantes *Abortum* fœtûs adhuc inanimati, ut proin circa pœnas contra directè, aut indirectè procurantes *Abortum* fœtûs animati Bulla *Sixti V.* adhuc in pleno suo vigore sit, prout teste Patritio Sporer *in Theologia Sacramentali. p.* 4. *cap.* 4. *sect.* 2. *n.* 714. Tenent omnes, patetque ex ipsa Bulla *Gregorii XIV.* quæ incipit *Sedes Apostolica*; estque ordine octava *in Tom. II. Bullarii Cherubini*: inter Constitutiones dicti Pontificis

etiam digna, ut per extensum hic inferatur; sonat ergo, ut sequitur.

18 *Sedes Apostolica pia mater assiduè sentiens ponderis sibi incumbentis in procuranda salute animarum, pretioso Christi Domini sanguine redemptarum, gravitatem & magnitudinem, in re tanti momenti, ut par est, magis in dies solicita, eumdemque optimum finem semper ante oculos propositum habens, nihil unquam intentatum prætermittit eorum, quæ ad fidelium animas in viam salutis dirigendas judicat pertinere. Quare nemini mirum videri debet, si interdum quidem contumacium fidelium audaciam pœnarum severitate deterret. Rursus eisdem, si ad cor redire velint, & peccati veniam humiliter exposcere, maternum aperit sinum, viamque ad pœnitentiam eis sternit faciliorem, ac mansuetudine congruâ rigorem temperat, prout in Domino conspicit salubriter expedire.*

§. 1. Dudum siquidem fel. record. Sixtus Papa V. prædecessor noster, justitiæ zelo accensus, contra procurantes abortum fœtûs tam animati, quàm inanimis, ejusque gravissimi sceleris participes & adjutores, nec non contra eos, qui mulierum fœcunditatem impedirent, & sterilitatis potiones seu venena præberent, constitutionem edidit, sub dato 4. Kal. Novembris, Pontificatûs sui anno tertio, per quam ultrà diversas spirituales & temporales pœnas, etiam inter alia Excommunicationis sententiam contra eos promulgavit, sibique & Successoribus suis tantùm absolvendi facultatem reservavit, prout in eadem constitutione pleniùs continetur.

§. 2. Cùm igitur postmodùm experientia docuerit, ex remedio hujusmodi, non quæ sperabatur, utilitatem & fructum provenisse, verùm potiùs multis satanæ malitiâ ad peccandum inductis, difficiliori ob soli Sedi Apostolicæ reservatam absolvendi facultatem, reddito ad pœnitentiam aditu, eos à nefariis hujusmodi flagitiis perpetrandis non solùm non retraxisse, sed etiam plurimorum Sacrilegiorum, gravissimorumque peccatorum & scelerum occasionem dedisse. Nos propterea animadvertentes, gladium Ecclesiasticæ disciplinæ, præsertim quoad censuras & pœnas spirituales, ita exercendum esse, ut ad medicinam tendat, non ad perniciem animarum æternumque Pastorem, cujus vices in terris gerimus, quantùm (divinâ ejus gratiâ adjutrice) possumus, imitari volentes, qui venit animas hominum salvare non perdere, neminique quantumcunque graviter & enormiter deliquerit, viam salutis præclusit, quin potiùs ad eam assequendam copiosa remedia adhibuit, ac nobis reliquit, & simul utilius censentes, ubi nec de homicidio, nec de animato fœtu agitur pœnas non imponere duriores illis, quæ per sacros Canones, & leges prophanas sunt inflictæ, habita super hoc cum Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, super negotiis & consultationibus Episcoporum deputatis, matura deliberatione, de eorum consilio, constitutionem prædictam sic duximus moderandam, ut à peccato, & excommunicatione contra personas ibi expressas latâ, tam quoad eos, qui hactenus deliquerunt, quàm quoad illos, qui post nostram constitutionem in eisdem casibus deliquerint, quilibet Presbyter, tam secularis, quàm cujusvis Ordinis regularis ad Christi fidelium confessiones audiendas, & ad hos casus specialiter per loci Ordinarium deputatus, plenam & liberam in foro conscientiæ tantùm, absolvendi habeat facultatem, eamdem prorsus quam idem Sixtus V. prædecessor noster, sibi ac suis successoribus reservavit.

§. 3. Quà verò ad pœnas procurantium Abortum fœtus inanimis, aut exhibentium mulieribus, vel sumentium venena sterilitatis, aut quocunque modo auxilium vel consilium eis dantium, in prædicta constitutione contentas, constitutionem præfatam, in ea parte, ubi de his agit, ad terminos Juris communis, ac sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini dispositionem, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium, tam quoad præterita, quàm quoad futura, perpetuò reducimus, perinde ac si eadem constitutio in hujusmodi nunquam emanâsset.

§. 4. Non obstantibus eadem Prædecessoris nostri constitutione, quam quoad reliqua omnia, præter contenta in hac nostra constitutione in suo robore omnino permanere volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium transumptis, Notarii publici manu subscriptis, & sigillo Prælati Ecclesiastici munitis eadem prorsus fides habeatur, in judicio & extrà illud, quæ eisdem originalibus haberetur exhibitis, vel ostensis.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum moderationis, reductionis, & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ 1591. prid. Kal. Junii Pontificatûs nostri Anno 1.

Ex his itaque Bullis cum unanimi Doctorum 19
colliges, quòd licèt *Gregorius XIV.* pœnas à *Sixto V.* fulminatas contra procurantes Abortum fœtûs inanimati, vel sterilitatem, & quocunque directè vel indirectè juvantes vel concurrentes ad id, reduxerit ad terminos Juris communis, tamen pœnas contra directè vel indirectè procurantes Abortum fœtûs animati, omnes & singulos à *Sixto V.* statutas reliquerit in suo vigore.

Ut proin omnes, qui directè vel indirectè, per se vel per alium, quocunque modo procurant Abortum fœtûs animati, vel ad id consilium vel auxilium præstat, aut favorem, imprimis incurrant omnes pœnas ab utroque Jure contra *Homicidas* voluntarios statutas.

2. Contrahant *Irregularitatem.*

3. Sint privati omni privilegio *Clericali.*

4. Sint *inhabiles* ad omnia Officia & Beneficia tam *simplicia*, quàm *Curata.*

6. Si Beneficium vel Officium jam habent, sint ipso facto privati, & tam ad idem, quàm quodvis aliud perpetuò *inhabiles.*

7. Insuper, si Clericus est, debeat deponi & degradari, sicque degradatus tradi Curiæ sæculari puniendus juxta Leges divinas, & humanas.

Et quidem, quod notandum, pœna *Irregulari-* 20
tatis, Excommunicationis, & *inhabilitatis* ad Beneficia obligant in Foro conscientiæ ante omnem Judicis sententiam, & quantumvis delictum sit occultum.

Pœna verò *Privationis* Beneficii priùs habiti, 21
qui executionem externam requirit, ante sententiam Judicis saltem declaratoriam Criminis non obligat, juxta dicta *Lib. I. Tit. II. §. X. à num.* 227. ut proin hæc, sicut & *Degradationis*, & *traditionis* pœna ad Curiam sæcularem, locum non habeat, quamdiu delictum manet occultum.

Circa *Dispensationem*, & *Absolutionem* ab his 22
pœnis id solum moderavit Gregorius XIV. quòd ab *Excommunicatione* in Bulla priùs strictissimè reservatâ absolvere possit Episcopus, & quivis ab eo specialiter deputatus. Unde nec in *Irregularitate*, nec in *privatione* Beneficiorum, ac *inhabilitate* ad illa minimè dispensare valet Episcopus, eò quòd in lege Pontificis tanquam Superioris, ipse tanquam inferior, dispensare non possit; prout ampliùs dictum & probatum est *Lib. I. Tit. II. §. XVIII.* Hinc minimè tuta est doctrina P. Patritii Sporer, quam *in Theolog. Sacrament. p. 4. cap. 4. n. 722. ad finem* tradit, dicendo, Episcopum posse dispensare in pœna *privationis* Beneficiorum, & *inhabilitatis* ad illa; qui aliàs *cit. cap. 4.* materiam de Abortu peregregiè pertractavit.

23 Nec in contrarium valet fundamentum à prædicto P. Sporer allatum, videlicet, Pontificem specialitèr sibi non reservâsse dictam *inhabilitatem*: Nam contra est; Tum quòd in pœnis à lege Pontificiâ impositis, solus Papa dispensare valeat, etiamsi earum dispensationem sibi specialiter non reserverit; hoc ipso, quòd in lege Pontificis tanquam superioris, nullus inferior dispensare possit; nisi id alicui specialiter, vel generaliter concedatur, quod non est in casu nostro. Tum quòd *Sixtus V.* dispensationem super Bullam impositis sibi universaliter expresè reservaverit *ibid. §. 8.* illis verbis: *Ac tam absolvendi, quàm dispensandi facultatem etiam quoad forum conscientiæ in casibus superiùs expressis, nobis & Successoribus nostris reservamus.*

24 Neque suffragatur in hoc Episcopis à Tridentino *Sess. 24. de Reformat. cap. 6.* quia ibi solùm conceditur illis facultas dispensandi in irregularitatibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus (exceptâ quæ provenit ex Homicidio) non item in aliis pœnis lege Pontificiâ latis, ut patet legenti textum. Et quoniam *Procuratio* Abortûs fœtûs animati est etiam *Homicidium* voluntarium, neque in Irregularitate ex illo proveniente dispensare poterit Episcopus.

25 Infertur, quàm infelices sint præsertim Clerici *Abortum* fœtûs animati directè, vel indirectè procurantes, aut consilium vel auxilium quovis modo ad illum præbentes, sive sint *Curati*, sive *simplices*, sive Beneficium habeant, sive non: si enim nullum pro illo tempore adhuc habent Beneficium, nullum ampliùs acquirere valent, nisi dispensetur à Papa, quantumvis delictum sit occultum: si habent Beneficium, illud quidem ante sententiam criminis declaratoriam dimittere non tenentur, tamen ante eandem sententiam, & licet delictum sit occultum, sunt ipso facto *irregulares*; consequenter præter alios *irregularitatis* effectus non ampliùs possunt celebrare Missas, quod tamen plurima Beneficia requirunt, ut proin saltem ex hoc capite ante omnem sententiam in Foro conscientiæ teneantur dimittere Beneficia; quia obligationi vigore Beneficii impositæ satisfacere non ampliùs possunt, nisi à Papa dispensetur; quod difficillimè, & non nisi *urgentissimis de causis* fieri potest, ut habet Bulla *Sixtina cit. §. 8. circa finem.*

26 Majorem & exactam discussionem de *Abortu* qui desiderat, legat citatum Patritium Sporer *in Theolog. Sacrament. p. 4. cap. 4. per totum.* ubi ex professo, & reverà egregiè hanc materiam pertractat, si excipis id, quod suprà *num.* 22. impugnavimus.

TITULUS XI.

De Infantibus, & Languidis expositis.

SUMMARIUM.

1 *Ratio continuationis.*
2 *Expositio Infantium quid?*
Infans quis dicatur? Ibid.
3 *Expositio Infantium ordinariè est graviter peccaminosa.*
4 *Etsi non fiat animo necandi Infantem, sed exponendi illum misericordiæ aliorum.*
5 *Et avertendi propriam infaniam, honoremque suum tenendi.*
Ubi justa est offensio, ibi injusta est defensio. Ibidem.
6 *An, & quando licitum sit exponere Infantem?*
7 *Parens in sylva aut loco deserto exponens Infantem, pœnâ mortis punitur, si Infans ibi perit.*
8 *Quæ pœna, si ibi non perit, aut in via publica exponitur, & perit?*
9 *Quid si in via publica aut hospitali exponitur, & non perit?*
10 *Subinde Expositio vacat culpâ, & pœnâ.*
11 *Parens exponens Infantem, perdit patrium potestatem.*
12 *In locis, ubi pro Expositis specialiter erecta & fundata extant Orphanotrophia, aut hospitalia, hæc tenentur assumere & alere Infantem: ubi verò non extat, tenetur ad id Ecclesia, vel Rector illius.*
Ecclesia aurum habet non ut serviet, sed ut eroget, & subveniat necessitatibus. Ibid.
13 *Deficientibus verò hujus redditibus tenetur Communitas, & tandem singuli in solidum.*
14 *Assumens, & educans Expositum, non acquirit jus in ejus personam.*
15 *Pia loca, aut Ecclesiæ Rectores, si Expositum educant, non possunt ampliùs repetere expensas.*
16 *An, & quando alii Expositum assumentes & alentes repetere valeant expensas? Et numero seq.*
18 *Educantes Expositum succedunt ei ab intestato.*
19 *Parentes agnoscere, & assumere possunt filium, si ipsis invitis fuit ablatus, & expositus.*
20 *Exposita habentur pro legitimis, & capacibus Ordinum, Beneficiorum, Officiorum &c. non tamen Canonicatuum, & Dignitatum illarum, quæ ex fundatione vel statuto requirunt Nobilitatem.*
21 *Quinam per Languidos intelligantur?*
22 *Eorum Expositio est graviter peccaminosa.*
23 *Si ab exponentibus sustentari valent.*
24 *Parentes, & Domini prolem, vel servum exponentes privantur patriâ, ac Dominicâ potestate. Et num. seq.*
25 *Dominus non tenetur ad magnas expensas pro cura famuli quâ talis.*
26 *Bene verò quâ proximi.*
Pauper potest implorare Judicem Ecclesiasticum contra quemvis divitem, ut sibi subveniatur. Ibid.
27 *De mercede famuli ægroti. Remissivi.*

QUia *Parricidio* propinqua, adeoque simplici 1
Homicidio pejor est *Expositio Infantium*, utpote quâ vel mors Infantis per exponentem intenditur, vel per accidens non rarò sequitur, adeo ut *l. Necare. 4. ff. de Agnoscend. & alend. liber.* expresè dicatur: *Necare videtur non tantùm is, qui partum præfocat, sed & is, qui abjicit, & qui alimoniam denegat, & is qui publicis locis misericordiæ causâ exponit, quam ipse non habet*: ideo post præcedentem Titulum, de hâc *Expositione* præsens recto ordine ponitur Rubrica.

Quæritur I. Quid ad præsens intelligatur per 2
Expositionem Infantium? An, & qualiter illicita? ac quibus sub pœnis prohibita? Resp. I. *Expositio Infantium* ad præsens est, & dicitur illa, quâ vel proles